

LEON BATTISTA
ALBERTI

AUTOBIOGRAFIA

EDIZIONE
A CURA DI
ROBERTO CARDINI
CON LA COLLABORAZIONE DI
MARIANGELA REGOLIOSI

TRADUZIONE A CURA DI
MARIA LETIZIA BRACCIALI MAGNINI

ISTITUTO POLIGRAFICO E ZECCA DELLO STATO

AUTOBIOGRAFIA

ABBREVIAZIONI

Testo e nota al testo a cura di Roberto Cardini, con la collaborazione di Mariangela Regoliosi; traduzione e note a cura di M. Letizia Bracciali Magnini.

AUTOBIOGRAFIA

(1) Omnibus in rebus que ingenuum et libere educatum deceant ita fuit a pueritia instructus, ut inter primarios etatis sue adolescentes minime ultimus haberetur. Nam cum arma et equos et musica instrumenta arte et modo tractare, tum litteris et bonarum artium studiis rarissimarumque et difficillimarum rerum cognitioni fuit deditissimus; denique omnia que ad laudem pertinerent studio et meditatione amplexus est; ut reliqua obmittam, fingendo atque pingendo nomen quoque adipisci elaboravit; adeo nihil a se fore pretermissum voluit, quo fieret a bonis approbaretur. Ingenio fuit versatili, quoad nullam ferme censeas artium bonarum fuisse non suam. Hinc neque otio aut ignavia tenebatur, neque in agendis rebus satietate usquam afficiebatur.

(2) Solitus fuerat dicere sese in litteris quoque illud animadvertisse quod aiunt: rerum esse omnium satietatem apud mortales. Sibi enim litteras, quibus tantopere delectaretur, interdum gemmas floridas atque odoratissimas videri, adeo ut a libris vix posset fame aut somno distrahi; interdum autem litteras ipsas suis sub oculis inglomerari persimiles scorpionibus, ut nihil posset rerum omnium minus quam libros intueri. (3) A litteris idcirco, si quando sibi esse illepide ocepissent, ad musicam et picturam aut ad membrorum exercitationem sese traducebat. Utebatur pila, iaculo amentato, cursu saltuque luctaque, atque imprimis arduo ascensu in montes delectabatur, quas res omnes valitudini potius quam ludo aut voluptati conferebat. (4) Armorum prelujiis adolescens claruit. Pedibus iunctis stantium humeros hominum saltu supra transilibat; cum hasta parem habuit saltantium ferme neminem; sagitta manu contorta thoracis firmissimum ferreum pectus transverberabat. Pede sinistro ab pavimento ad maximi templi parietem adacto, sursum in ethera pomum dirigebat manu, ut fastigia longe supervaderet sublimium tectorum; nummulum argenteum manu tanta vi emittebat, ut qui una secum afforent in templo sonitum celsa convexa tectorum templi ferientis nummi clare exaudirent. Equo insidens, virgula oblonga, altero capite in pedis dorsum constituto et manu ad alterum virge caput adhibita, in omnem partem quadrupedem agitabat, virga ipsa integras, ut volebat, horas immota nusquam: mirum atque rarum in eo, quod ferociore equi et sessorum impatientissimi, cum primum conscendisset, sub eo vehementer contremiscebant atque veluti horrentes subtrepidabant.

(5) Musicam nullis preceptoribus tenuit et fuere ipsius opera a doctis musicis approbata; cantu per omnem etatem usus est, sed eo quidem intra privatos parietes aut solus, et presertim rure cum fratre propinquisve tantum. Organis delectabatur et inter primarios musicos in ea re peritus habebatur. Musicos effecit nonnullos eruditiores suis monitis.

(6) Cum per etatem coepisset maturescere, ceteris omnibus rebus posthabitis, sese totum dedicavit studiis litterarum. Dedit enim operam iuri pontificio iurique civili annos aliquot, idque tantis vigiliis tantaque assiduitate, ut ex labore studii in gravem corporis valitudinem incideret. In ea quidem egritudine suos perpessus est affines non pios neque humanos. Idcirco consolandi sui gratia, intermissis iurium studiis, inter curandum et convalescendum scripsit *Philodoxeos fabulam*, annos natus non plus viginti. (7) Ac, dum per valitudinem primum licuit, ad coepta deinceps studia et leges perdiscendas sese restituit; in quibus cum vitam per maximos labores summamque egestatem traheret, iterato gravissima egritudine obrutus est. (8) Artus enim debilitatus macritudineque absumpte vires ac prope totius corporis vigor roburque infractum atque exhaustum, eo deventum est gravissima valitudine, ut lectitanti sibi oculorum illico acies, obortis vertiginibus torminibusque, defecisse videretur, fragoresque et longa sibila ad inter aures multo resonarent. Has res phisici evenire fessitudine nature statuebant; ea de re admonebant iterum atque iterum ne in his suis laboriosissimis iurium studiis perseveraret. (9) Non paruit, sed cupiditate ediscendi sese lucubrationibus macerans, cum ex stomaco laborare ocepit, tum et in morbum incidit dignum memoratu. Nomina enim interdum familiarissimorum, cum ex usu id foret futurum, non occurrebant (rerum autem que vidisset, quam mirifice fuit tenax). Tandem ex medicorum iussu studia hec, quibus memoria plurimum fatigaretur, prope efflorescens intermisit. (10) Verum, quod sine litteris esse non posset, annos natus quatuor et viginti ad philosophiam se atque mathematicas artes contulit: eas enim satis se posse colere non diffidebat, siquidem in his ingenium magis quam memoriam exercendam intelligeret.

(11) Eo tempore scripsit ad fratrem *De commodis litterarum atque incommodis*, quo in libello, ex re ipsa perdoctus, quidnam de litteris foret sentiendum disseruit. (12) Scripsitque per ea tempora, animi gratia, complurima opuscula: *Ephibiam*, *De religione*, *Deiphiram* et pleraque huiusmodi soluta oratione; tum et versu elegias eglogasque atque cantiones et eiuscemodi amatoria, quibus plane studiosis ad bonos mores imbuendos et ad quietem animi prodesset. (13) Scripsit preterea, et affinium suorum gratia, ut lingue latine ignaris prodesset, patrio sermone, annum ante trigesimum etatis sue, etruscos libros primum, secundum ac tertium *De familia*, quos Rome die nonagesimo quam inchoarat absolvit, sed inelimosos et asperos, neque usquequaque etruscos. Patriam enim linguam, apud exteris nationes per diutinum familie Albertorum exilium educatus, non tenebat, et durum erat hac in lingua scribere eleganter atque nitide, in qua tum primum scribere assuesceret. Sed brevi tempore, multo suo studio, multa industria, id assecutus extitit, ut sui cives, qui in senatu se dici eloquentes cuperent, non paucissima ex illius scriptis ad exornandam orationem suam ornamenta in dies suscepisse fateantur. (14) Scripsit et preter hos annum ante trigesimum plerasque *Intercenales*, illas

presertim iocosas *Viduam, Defunctum* et istis simillimas, ex quibus, quod non sibi satis mature edite viderentur, tametsi festivissime forent et multos risus excitarent, plures mandavit igni, ne obtrektoribus suis relinqueret unde se levitatis forte subarguerent.

(15) Vituperatoribus rerum quas conscriberet, modo coram sententiam suam depromerent, gratias agebat, in eamque id partem accipiebat, ut se fieri elimatiorem emendatorum admonitu vehementer congratularetur. De re tamen ita sentiebat, omnibus facile persuasum iri posse ut sua plurimum scriptio approbaretur; que, si forte minus quam cuperet delectet, non tamen se inculpandum esse, quandoquidem sibi secus quam ceteris auctoribus non licuerit. (16) Cuique enim aiebat ab ipsa natura vetitum esse meliora facere sua quam possit facere: demum sat est putandum si quid pro viribus et ingenio muneri satisfecerit.

(17) Mores autem suos iterum atque iterum perquam diligentissime cavebat ne a quoquam possent ulla ex parte ne suspitione quidem vituperari, et calumniatores pessimum in vita hominum malum versari aiebat; illos enim didicisse per iocum et voluptatem non minus quam per indignationem et iracundiam famam bonorum sauciare, et posse nullis remediis cicatricem illati eorum perfidia ulceris aboleri. (18) Itaque voluit omni in vita, omni gestu, omni sermone et esse et videri dignus bonorum benivolentia, et cum ceteris in rebus, tum maxime <in> tribus omnem dicebat artem consumendam (sed arti addendam artem, ne quid illic factum arte videatur), dum per urbem obambularis, dum equo veheris, dum loqueris: in his enim omni ex parte circumspiciendum ut nullis non vehementer placeas. (19) Multorum tamen, etsi esset facilis, mitis ac nulli nocuus, sensit iniquissimorum odia occultasque inimicitias sibi incommodas atque nimium graves; ac presertim a suis affinibus acerbissimas iniurias intollerabilesque contumelias pertulit animo constanti. (20) Vixit cum invidis et malivolentissimis tanta modestia et equanimitate, ut obtrektoribus emulorumque nemo, tametsi erga se iratior, apud bonos et graves de se quidpiam nisi plenum laudis et admirationis auderet proloqui; coram, etiam ab ipsis invidis honorifice accipiebatur; ubi vero aures alicuius levissimi ac sui simillimi paterent, hi maxime, qui pre ceteris diligere simulassent, omnibus calumniis absentem lacerabant: tam egre ferebant virtute et laudibus ab eo superari, quem fortuna sibi longe esse inferiorem ipsi omni studio et industria laborassent. (21) Quin et fuere ex necessariis, ut cetera obmittam, qui illius humanitatem, beneficentiam liberalitatemque experti, intestinum et nefarium in scelus ingratisissimi et crudelissimi coniurarant, servorum audacia in eum excitata, ut vim ferro barbari immeritissimo inferrent. (22) Iniurias istiusmodi ab suis illatas ferebat equo animo per taciturnitatem, magis quam aut indignatione ad vindictam penderet, aut suorum dedecus et ignominiam iri promulgatum sineret. Suorum enim laudi et nomini plus satis indulgebat, et quem semel dilexerat, nullis poterat iniuriis vinci ut odisse inciperet. (23) Sed improbos aiebat maleficiis in bonos inferendis facile superiores futuros (nam satius quidem apud bonos putari sentiebat iniuriam perpeti quam facere): idcirco nolentibus ledere contra eos, qui lacesire parati sint, contentionem esse non equam. Itaque protervorum impetum patientia frangebatur, et se ab calamitate, quoad posset, solo virtutis cultu vendicabat. (24) Bonis et studiosis viris fuit commendatus principibusque non paucis acceptissimus; sed quod omne ambitionis assentationisque genus detestaretur, minus multis placuit quam placuisset,

si pluribus sese familiarem fecisset. Inter principes tamen italos interque reges externos non defuere uni atque item alteri testes et precones virtutis sue, quorum tamen gratia ad nullius vindictas, cum novis in dies iniuriis irritaretur et plane ulcisci posset, abusus est. (25) Preterea cum tempora incidissent ut his, a quibus graviter esset lesus, privata sua fortuna valeret pulchre pro meritis referre, beneficio et omni humanitate maluit quam vindicta efficere, ut scelestos poeniteret talem a se virum fuisse lesum.

(26) Cum libros *De familia* primum, secundum atque tertium suis legendos tradidisset, egre tulit eos inter omnes Albertos, alioquin ociosissimos, vix unum repertum fore, qui titulos librorum perlegere dignatus sit, cum libri ipsi ab exteris etiam nationibus peterentur; neque potuit non stomachari cum ex suis aliquos intueretur, qui totum illud opus palam et una auctoris ineptissimum institutum iriderent. (27) Eam ob contumeliam decreverat, ni principes aliqui interpellassent, tris eos, quos absolverat, libros igni perdere; vicit tamen indignationem officio, et post annos tris quam primos ediderat quartum librum ingratis protulit, «Hinc si probi estis – inquiens – me amabitis; sin tandem improbi, vestra vobis improbitas erit odio». (28) Illis libris illecti, plerique rudes concives studiosissimi litterarum effecti sunt. Eos ceterosque omnes cupidos litterarum fratrum loco deputabat; illis queque haberet, queque nosset, queque posset ultro communicavit; suas inventiones dignas et grandes excercitibus condonavit.

(29) Cum appulisse doctum quemvis audisset, illico sese in illius familiaritatem insinuabat, et a quocumque queque ignorasset ediscebat. A fabris, ab architectis, a naviculariis, ab ipsis sutoribus et sartoribus sciscitabatur, si quidnam forte rarum sua in arte et reconditum quasi peculiare servarent; eadem illico suis civibus volentibus communicabat. Ignarum se multis in rebus simulabat, quo alterius ingenium, mores peritiamque scrutaretur.

(30) Itaque rerum, que ad ingenium artesque pertinerent, scrutator fuit assiduus; pecuniarum et questus idem fuit omnino spreter. Pecunias bonaque sua amicis custodienda et usu fruenda dabat; tum apud hos, a quibus se diligi coniectaret, fuit cum rerum suarum atque institutorum, tum et secretorum prope futilis. (31) Aliena secreta nusquam prodidit, sed eternum obmutuit. Litteras perfidi cuiusdam, quibus impurissimum ipsum inimicum pessime posset afficere, noluit prodere; sed interea, dum se nequissimus ille convitiator litterarum auctor mordere non desineret, nihilo plus commotus est, quam ut subridens diceret: «Enimvero, an tu, homo bone, num et scribere litteras meministi?». (32) Ad molestissimum quemdam calumniatorem conversus, arridens, «Facile – inquit – patiar te quoad voles mentiendo ostendere qualis quisque nostrum sit: tu istiusmodi predicando efficis, ut te isti parum esse modestum sentiant, magis quam me tua istac presenti ignominia vituperes; ego tuas istas ineptias ridendo efficio, ut mecum plus nihil assequaris quam ut, cum frustratus a me discesseris, tum te tui pigeat».

(33) Ac fuerat quidem natura ad iracundiam facili<s> et animo acri, sed illico surgentem indignationem reprimebat consilio, atque ex industria verbosos et pervicaces interdum fugiebat, quod non posset apud eos ad iram non subcalescere, interdum ultro se protervis, quo patientie assuesceret, efferebat. (34) Familiare arcessebat, quibuscum de litteris et doctrina suos habebat perpetuos sermones, illisque excribentibus dictabat opuscula, et una eorum effigies pingebat aut fingebat cera. Apud Venetias vultus amico-

rum, qui Florentie adessent, expressit annum mensesque integros postquam eos viderat. Solitus erat rogare puerulos eamne imaginem quam pingeret nossent, et negabat ex arte pictum dici quod non illico a pueris usque nosceretur; suos vultus propriumque simulacrum emulatus, ut ex picta fictaque effigie ignotis ad se appellentibus fieret notior.

(35) Scripsit libellos *De pictura*; tum et opera ex ipsa arte pingendi effecit inaudita et spectatoribus incredibilia, que quidem parva in capsula conclusa pusillum per foramen ostenderet: vidisses illic montes maximos vastasque provincias sinum immane<m> maris ambientes, tum e conspectu longe sepositas regiones, usque adeo remotissimas, ut visenti acies deficeret. Has res 'demonstrationes' appellabat, et erant eiusmodi, ut periti imperitique non pictas, sed veras ipsas res nature intueri decernerent. (36) Demonstrationum erant duo genera, unum quod diurnum, alterum quod nocturnum nuncuparet. Nocturnis demonstrationibus vides Arturum, Pleiades, Oriona et istiusmodi signa micantia, illucescitque excelso a rupium et verrucarum vertice surgens luna ardentque antelucana sidera. (37) Diurnis in demonstrationibus splendor passim lateque irradiat immensum terrarum orbem is, qui post irigeniam, uti ait Homerus, Auroram fulget. (38) Quosdam Grecorum proceres, quibus mare foret percognitum, in sui admirationem pellexit. Nam cum illis mundi hanc fictam molem per pusillum, ut dixi, foramen ostenderet ac rogaret et quidnam vidissent, «Eia! – inquit illi – classem navium in mediis undis intuemur; eam ante meridiem apud nos habebimus, ni istic, qui ad orientem solem nimbus atque atrox tempestas properat, offenderit: tum et mare inhorruisse intuemur periculique signa sunt, quod a sole nimium acres mare advorsum iactat radios».

(39) Huiusmodi rebus investigandis opere plus adhibuit quam promulgandis; nam plus ingenio quam glorie inserviebat. Numquam vacabat animo a meditatione et commentatione; raro se domi ex publico recipiebat non aliquid commentatus, tum et inter coenas commentando. Hinc fiebat ut esset admodum taciturnus et solitarius aspectuque subtristis, sed moribus minime difficilis, quin inter familiares, etiam cum de rebus seriis disputaret, semper sese exhibebat iocundum et, servata dignitate, festivum.

(40) Fuerunt qui eius dicta et seria et ridicula complurima colligerent, que quidem ille ex tempore atque e vestigio celerius ediderit ferme quam premeditarit. Ex multis pauca exempli gratia referemus.

(41) De quodam, qui diutius inter disserendum ostentande memorie gratia nimium multa nullo cum ordine esset prolocutus, cum rogaretur qualis sibi disputator esset visus, respondit eam sibi peram libris laceris et disvolutis refertam videri.

(42) Domum vetustam, obscuram et male edificatam, in qua divertisset, tritavam atque idcirco nobilissimam edium appellabat, siquidem ceca et incurva esset.

(43) Peregrino roganti quanam foret via eundum sibi eo versus, ubi ius redderetur, «Non equidem, mi hospes – inquit – novi»; tum concives qui aderant: «Ne vero non id novisti – inquit – pretorium?». «Non equidem – inquit – ius ipsum istic habitasse, o cives, memineram».

(44) Roganti ambitioso purpurane decenter uteretur «Pulchre – inquit – ea, modo pectus tegat».

(45) Otiosum quendam garrulum scurram increpans, «Eia, – inquit – ut apte carioso in trunco evigilans considet rana!».

(46) Cum familiarem admoneret ut a maledici consuetudine sese abdicaret, «Crabrones – dicebat – non recipiendos sinu». Cumque sibi contra a mathematico improperaretur quod bilinguem et versipellem hospitem detinisset, «Num tu – inquit – nosti nisi in puncto equam superficiem attingat globum?».

(47) Levitatem et inconstantiam a natura esse datam mulieribus dicebat, in remedium earum perfidie et nequitiæ; quod, si perseveraret mulier suis incoeptis, fore ut omnes bonas hominum res suis flagitiis funditus perderet.

(48) Amicum paulo celeriore et concitatore animis quam optasset offendens, «Heus tu, – inquit – cave ne ad currendum currendo ruas!».

(49) Dicebat invidiam cecam esse pestem et omnium insidiosissimam: eam enim per aures, per oculos, per nares, per os denique, ipsas etiam per unguiculas ad animum ingredi et cecis flammis inurere, ut etiam qui se sanos putent isthac ipsa peste contabescant.

(50) Aurum dicebat laboris dominum, laborem ipsum voluptatis servum esse.

(51) Ceteris in rebus mediocritatem approbat; unam excipiebat patientiam, quam aut nimis servandam, aut nihil suscipiendam statuebat, aiebatque persepius graviora ob patientiam tollerari quam ob vehementem acrimoniam tulissemus.

(52) Ut morbos, sic et protervorum audaciam aiebat interdum non aliter quam periculosis curandi rationibus posse tolli. Sat eum dicebat hominem sapere, qui saperet que saperet, satisque posse, qui posset <que posset>, satisque habere ipsum hunc, qui que haberet eadem haberet.

(53) In iurisconsultum perfidum, qui altero humero depresso, altero sublato deformis incederet, «Equa – inquit – istic nimirum iniqua sunt, ubi lances in libra non eque pendeant».

(54) Dicebat omnem splendorem vim habere igneam: non idcirco mirandum, si nimium splendori cives de se in animis hominum invidiam succenderent.

(55) Tuta ab hostium iniuriis civitate, cum facinorosorum concivium cepta esset ratio, «Nonne – inquit – istuc fit percommode, ut imbre sedato tecta resarciantur?».

(56) Rogatus quinam essent hominum pessimi, respondit: «Qui se optimos videri velint, cum mali sint». Iterum rogatus quisnam esset civium optimus, respondit: «Qui nulla in re mentiri instituerit».

(57) Aiebat nihil esse tam proprium insitumve atque innatum mulieribus, quam ut eas rerum omnium que egerint dixerintve illico poeniteat.

(58) Latum anulum affluentis fortune simillimum sibi videri predicabat, qui quidem, ni alligata stappa arctior reddatur, perfacile e digito decidat.

(59) Rogatus quid esset maximum rerum omnium apud mortales, respondit: «Spes»; quid minimum, inquit: «Quod inter hominem est atque cadaver»; rerum omnium suavissimum? «Amari»; liberale? «Tempus».

(60) Paupertatem in vita hominum aiebat eiusmodi esse ac si via sallebrosa nudis tibi sit pedibus eundum: nam usu callus superinducitur, eo quod fit ut minus in dies tibi reddatur aspera.

(61) De cive insolentissimo et omnium importuno, cum audisset missum in exilium, «Numquid non predixeram – inquit – homini huic, qui quidem, sublato mento, assiduo nebularum olfatu delectabatur, cavendum ne quid offenderet, quo sibi illiso pede esset ruendum?».

(62) Fortunatos assimilabat his qui sitiendi in flumine navigarent; namque, ni levigato navigio contis laborent, hereant.

(63) In concivem quendam maleficum, cum ad magistratum se vocatum congratularetur, «Memento – inquit – olim te iterum futurum privatum, aut in magistratu emoriturum».

(64) Petierat a quodam, qui sese in republica administranda principem gloriaretur, pluresne essent ii qui scalas edium publicarum conscenderent, quam qui descenderent; cumque ille respondisset parem ferme utrimque sibi videri numerum, iterato quesivit pluresne essent qui per fenestras ingrederentur, quam qui egrederentur.

(65) <In quendam> rebus puerilibus et levissimis plurimam operam perdentem dixit: «Hunc annos Nestoris multo superaturum»; rogatus quid ita, «Quoniam – inquit – quadragenarium puerum intueor».

(66) Presentibus utendum ut presentibus; (67) doctas amicorum aures scriptorum limam dicitabat; (68) obtrectatores, fallaces, ambiguos et omnes denique mendaces ut sacrilegos et capitales fures aiebat esse plectendos, quod veritatem iuditiumque, religiosissimas ac multo rarissimas res, e medio involent.

(69) Cum iniquos affines multis beneficiis et omni officio sepius sibi reconciliasset, solitus erat dicere meminisse quidem se fenum putridum nodo non teneri.

(70) Ditissimi et fortunatissimi cuiusdam edes procul fugiendas admonebat; nam solere quidem aiebat, ubi nimium oppleta sint vasa, omnia effundere.

(71) Cum intueretur levissimos et ambitiosos aliquos, qui se philosophari profiterentur, per urbem vagari et se oculis multitudinis ostentare, «Eccum nostros caprificos, – aiebat – qui quidem infructuosissimam et superbam istanc solitudinem adamarint, que publica sit».

(72) Petitus arbiter ad dirimendam litem nonnullos inter pervicaces et importunos, munus id suscipere recusavit, atque amicis rogantibus quid ita preter officium et pristinam suam facilitatem ageret, «Lyram – inquit – fractam et penitus discordem ad pueros fore atque ad stultos reiciendam».

(73) De cive rus, facile mortales reddi locupletes aiebat, si ea que paupertas cogat sponte exequantur; atque profligari quidem paupertatem cedendo.

(74) Ambitiosi domum spectans, «Turgida – inquit – domus hec propediem efflabiturum»; ut evenit quidem: nam ob alienum es ipsarum edium fortunatissimus dominus in exilium secessit. (75) Cuidam prodigo et insolenti, qui se dictis morderet, cum satis obticuisset, «Non tecum, – inquit – o beate, contendam, quem respublica suo sit hospitio acceptura». Horum verborum mordax ille, cum carceribus detentus diem obiret, meminit. (76) Ferrariensibus, ante edem qua per Nicolai Estensis tyranni tempora maxima iuventutis pars eius urbis deleta est, «O amici, – inquit – quam lubrica erunt proximam per estatem pavimenta hec, quando sub his tectis multe impluent gutte!».

(77) Etenim predicendis rebus futuris prudentiam doctrine et ingenium artibus divinationum coniungebat. Extant eius epistole ad Paulum phisicum, in quibus futuros casus patrie annos integros ante prescripserat; tum et pontificum fortunas, que ad annum usque duodecimum essent affuture predixerat, multarumque reliquarum urbium et principum motus ab illo fuisse enunciatos amici et familiares sui memorie

prodiderunt. (78) Habebat pectore radium, quo benivolentias et odia hominum erga se presentisceret; ex solo intuitu plurima cuiusque presentis vitia ediscebat. Omnibus argumentis maximoque opere, sed frustra, elaboravit aliquos erga se mansuetiores reddere, quos futuros infensos ex ipso aspectu sensisset. Eorum tamen inimicitias quasi fatalem quandam necessitatem mediocriter ferebat, in omnique contentione moderatius sibi fore contendendum indicebat, quam fortassis licuisset, preterquam in reddenda mutui beneficii gratia.

(79) Vix poterat perpeti pre se quemquam superiorem videri benivolentia, seclusa ambitione, a qua tam longe abfuit, ut etiam quas ipse gesserit res dignas memoratu, suis eas maioribus in libris *De familia* adscripserit. Tum suis in opusculis aliorum titulos apposuit, et integra opera amicorum fame elargitus extitit.

(80) Doloris etiam et frigoris et estus fuit patiens. Cum accepisset grave in pedem vulnus, annos natus non integros quindecim, et a medico disducte pedis partes pro more et arte consuerentur, ducta per cutem acu, <et> adnodarentur, emisit gemitum penitus nullum; propriis etiam in tanto dolore manibus curanti medico subministravit vulnusque ipsum tractavit. (81) Febribus flagrans et ob laterum dolores frigiditas totis temporibus undas desudans, accitis musicis horas ferme duas vim mali et doloris molestiam canendo superare innitebatur. (82) Caput habebat a natura frigoris aureque penitus impatientissimum; id effecit ferendo et sensim per estatem perducta consuetudine, ut bruma et quovis perflante vento nullis capite vestibis aperto obequitaret. (83) Allia atque imprimis mel, nature quodam vitio, fastidibat, adeo ut solo intuitu, si quando casu ea sibi fuissent oblata, bilis a stomacho sibi excitaretur; vicit sese ipsum usu spectandi tractandique ingrata, quoad eo pervenit ut minus offenderent, et exemplum prebuit posse homines de se omnia, ut velint.

(84) Animi gratia e domo in publicum exiens, cum artifices omnes assiduos in tabernis versari ad opus intueretur, quasi gravissimo aliquo abs censore commonefactus, sepe domum repetebat, «Et nos quoque pro suscepto officio – inquam – exercebimur». (85) Vere novo cum rura et colles efflorescentes intueretur, arbustaque et plantas omnes maximam pre se fructuum spem ferre animadverteret, vehementer tristis animus reddebatur hisque sese castigabat dictis: «Nunc te quoque, o Baptista, tuis de studiis quidpiam fructuum generi hominum polliceri oportet!». (86) Cum autem agros messibus graves et in arboribus vim pomorum per autumnum pendere conspicaretur, ita afficiebatur moerore, ut sint qui illum viderint pre animi dolore interdum collacrimasse, eiusque immurmurantis verba exaudierint: «En Leo, ut undique testes atque accusatores nostre inertie circumstant! Et quidnam usquam est, quod integro in anno multam de se mortalibus utilitatem non attulerit? At tu et quidnam habes, quod in medium tuo pro officio abs te perfectum efferas?».

(87) Precipuum et singularem voluptatem capiebat spectandis rebus, in quibus aliquod esset specimen forme ac decus. Senes preditos dignitate aspectu et integros atque valentes iterum atque iterum demirabatur, deliciasque nature sese venerari predicabat. Quadrupedes, aves ceterasque animantes forma prestantes dicebat dignas benivolentia, quod egregia essent ab ipsa natura dignate gratia. Lepidissimo cani suo defuncto funebrem scripsit orationem.

(88) Quicquid ingenio esset hominum cum quadam effectum elegantia, id prope divinum ducebat, et in quavis re expositam industriam <tanti> faciebat, ut etiam malos scriptores dignos laude asseveraret. Gemmis, floribus ac locis presertim amenis visendis nonnumquam ab egritudine in bonam valitudinem rediit.

(89) Ore porrecto et subafflicto quidam incedebat: «Huic – inquit – sua olet barba».

(90) In insolentem et iridentem, «Heus tu, – inquit – ut solent quidem apte flere, qui rideant inepte!».

(91) In eum qui sua prolixa gloriaretur barba, «Sordes – inquit – pectoris perquam belle subintegit».

(92) Ex verbosi ore teter flatus in eius os effundebatur; ille se finxit casu starnutatum atque: «Et quidnam cause est – inquit – quod solem starnutabundi aspicimus?». Risere amici, et disputatione hac iocosa verbosi historiam interrumpere.

(93) Roganti levissimo cuidam quid ita simulacrum finxisset ore aperto, «Ut cantet – inquit – ubi ipse saltaveris».

(94) Cum laudaretur quidam, quod diligens animadversor esset et scriptorum errores perquam severe colligeret, «Nunc – inquit – hunc video, unde sit erroribus refertissimus».

(95) Helluonem conspicatus, qui quidem esset ad egestatem redactus, «Non – inquit – hoc phisici novere, homines ex crapula famescere».

(96) Tumidum quendam et plane morosum despectans, dixit: bonum hunc sibi videri musicum, qui quidem ex vestigii compressione excitatam armoniam parvis auribus gradiendo capesceret.

(97) Cuidam procaciori cui esset pollicitus nummos, cum aureos rogaret, undecim connumeratis nummis: «Alium – inquit – si addidero, solidum dedero, qui nummos promisi».

(98) In quendam pinguem, qui esset multo ere alieno astrictus, «Sic – inquit – et saccus quidem isthoc pacto fieret turgidus, multa capiens et nihil reddens».

(99) In invidum et maledicum, «At enim – inquit – horrendum canit noctua».

(100) Cuidam qui sue superbiam uxoris detestaretur, «Neque irasci – inquit – nosti, neque irridere».

(101) In familiarem inertem et somniculosum rogantem quid ita esset, quod suis in edibus hirundines non nidificarent, «Minime – inquit – mirum; nam istic algent homines».

(102) Ex gibbosi cuiusdam delatoris dorso ad se proficiscentis talpam iam tum surgentem affuturam dixit.

(103) Quosdam ex magistratibus improbos a porta propere exeuntes conspicatus, «Bene – inquit – sese res habet, quandoquidem isti effugiant!».

(104) Macie confectum hominem quendam salutans, «Salve, – inquit – Salus!».

(105) Importuno et plurima petenti, «O – inquit – mi homo, quantam attulisti negandi facultatem!».

(106) Patere aiebat Bononie vicos, quod esset illa quidem pinguis civitas, sed insulsa.

(107) In eum qui esset claudus, «Poplitem is – inquit – perquam belle scalpit».

LA VITA

(1) In tutte le discipline che si addicono ad un individuo nato e allevato da uomo libero,⁽¹⁾ fu fin dalla fanciullezza così istruito da non poter essere certamente considerato l'ultimo tra i primi dei suoi coetanei. Si dedicò infatti con tutto se stesso sia all'apprendimento delle tecniche relative alle armi, ai cavalli, agli strumenti musicali, sia alle lettere, allo studio delle arti liberali e alla conoscenza di tutte le discipline più rare e difficili; insomma, si occupò con passione e a fondo di tutte quelle attività che sono degne di lode; senza contare il resto, si adoperò per farsi un nome anche nella scultura e nella pittura; tale era in lui il desiderio di non trascurare nulla di ciò che potesse fargli guadagnare la stima dei probi. Aveva un ingegno così versatile da far pensare che nessuna delle arti liberali gli fosse estranea. Perciò non si faceva vincere né dall'ozio né dall'inerzia, e in quello che faceva non raggiungeva mai la sazietà.

(2) Era solito dire che anche nelle lettere aveva sperimentato ciò che si dice: presso i mortali c'è sazietà di tutto. Infatti le lettere, che amava tanto, qualche volta gli sembravano gemme fiorite e profumatissime, tanto che a malincuore si staccava dai libri per mangiare o dormire; qualche volta invece quelle stesse lettere si aggrovigliavano sotto i suoi occhi, assai simili a scorpioni, al punto da rendergli sopportabile la vista di qualsiasi cosa tranne che dei libri. (3) Perciò, quando le lettere cominciavano a perdere per lui ogni attrattiva, passava alla musica e alla pittura oppure all'esercizio fisico. Aveva dimestichezza con la palla, il lancio del giavellotto, la corsa, il salto, la lotta, ma soprattutto gli piacevano le scalate impegnative, e tutte queste attività le praticava più per motivi di salute che per divertimento e per piacere. (4) Da giovane si distinse nell'addestramento alle armi. Con un salto a piedi uniti oltrepassava all'altezza delle spalle uomini che stavano in piedi; nel salto con l'asta non c'era praticamente nessuno che lo eguagliasse; con una freccia scagliata con la mano riusciva a trapassare una corazza di ferro durissimo. Da terra, facendo leva con il piede sinistro sulla parete di un tempio elevatissimo, gettava

⁽¹⁾ Per il nesso cfr., ad es., Cicerone, *De oratore* I 73; III 127; *Timeus* 1. La puntualizzazione e l'idea che la sostiene ricorrono spesso nelle pagine albertiane.

in alto un pomo con la mano arrivando a toccare da lontano la sommità dell'altissimo soffitto; con la mano lanciava una monetina d'argento con una tale forza che chi era con lui nel tempio riusciva a sentire nitidamente il suono della moneta quando colpiva l'alta volta del soffitto. In sella, impugnando con una mano l'estremità di una lunga verga e appoggiando l'altra estremità sul dorso del piede, portava il cavallo da ogni parte, senza mai muovere la verga, per ore intere, se voleva: cosa mirabile ed eccezionale soprattutto per il fatto che, appena montato a cavallo, anche se si trattava di cavalli piuttosto selvaggi che non sopportavano assolutamente di essere montati, questi si mettevano a tremare all'istante agitandosi sotto di lui come in preda alla paura.

(5) Imparò la musica senza alcun maestro e la sua attività riscosse l'approvazione di dotti musicisti; coltivò il canto per tutta la vita, ma solo tra le pareti domestiche, o da solo o, di preferenza, in campagna con il fratello⁽²⁾ e i parenti. Gli piaceva suonare l'organo e tra i migliori musicisti era considerato in questo campo un esperto. A parecchi di loro con i suoi suggerimenti insegnò anche qualcosa.

(6) Divenuto maturo con l'età, abbandonò tutte le altre attività per dedicarsi interamente agli studi letterari. Infatti si applicò per diversi anni allo studio del diritto canonico e del diritto civile, e lo fece a prezzo di tante veglie e con una tale assiduità da cadere gravemente ammalato, per la fatica dello studio. E fu proprio in occasione di questa malattia che sperimentò la mancanza di pietà e umanità dei suoi parenti.⁽³⁾ Così, durante le cure della convalescenza, interrotti gli studi giuridici, scrisse per consolarsi, ad appena vent'anni, la *Philodoxeos fabula*. (7) Poi, non appena la salute glielo consentì, ritornò di nuovo agli studi giuridici ma, poiché conduceva una vita faticosissima e in grandissima miseria, fu sopraffatto nuovamente da una gravissima infermità. (8) Infatti, debilitato nelle membra, senza forze, dimagrito e con il fisico completamente fiaccato e consunto, giunse a causa della gravissima malattia ad un punto tale che, mentre leggeva, gli prendevano vertigini e coliche, gli sembrava di perdere la vista e nelle orecchie gli risuonavano rumori e sibili prolungati. I medici dicevano che questi fenomeni derivavano da una debolezza congenita; e per questo lo esortarono ripetutamente a non insistere in quei suoi faticosissimi studi di diritto. (9) Egli non dette loro retta ma, trascorrendo estenuanti notti di veglia per la smania di apprendere, cominciò a soffrire di stomaco e allora gli venne una malattia di cui vale la pena riferire. Infatti ogni tanto non si ricordava i nomi delle persone, anche delle più vicine, che pure frequentava continuamente (invece era incredibilmente bravo nel ricordare le cose che aveva visto). Alla fine, quando stava quasi per morire, interruppe, per ordine dei medici, questi studi che gli logoravano moltissimo la memoria. (10) Ma, non potendo stare lontano dagli studi, all'età di ventiquattro anni si rivolse alla filosofia e alle discipline matematiche: confidava infatti di poterle coltivare in tranquillità, visto che si rendeva conto di dover esercitare in esse più l'intelligenza che la memoria.

⁽²⁾ Il fratello Carlo, anch'egli figlio illegittimo di Lorenzo di Benedetto Alberti.

⁽³⁾ I rapporti con i parenti divennero più difficili dopo la morte del padre, avvenuta a Padova nel 1421, per contrasti legati soprattutto allo *status* di figlio naturale. Alberti vi allude spesso, nelle sue opere.

(11) In quel tempo scrisse per il fratello il *De commodis litterarum atque incommodis*, in cui esponeva le sue teorie sulle lettere, argomento nel quale era esertissimo. (12) In quel periodo scrisse anche, per diletto, svariate operette in prosa: l'*Ephebia*, il *De religione*,⁽⁴⁾ la *Deiphira*, e diverse altre dello stesso genere; scrisse anche, in versi, elegie, egloghe, ballate e altre composizioni d'amore, per cercare di ispirare i buoni costumi e la serenità dello spirito.⁽⁵⁾ (13) Inoltre, a ventinove anni, anche per gratificare i suoi parenti, scrisse nella lingua patria, per venire incontro a chi non conosceva il latino, un primo, un secondo e un terzo libro in toscano *De familia*, che compose a Roma in novanta giorni, ma in un toscano scabro e privo di limatura. Infatti non conosceva bene la lingua patria in quanto, per il lungo esilio della famiglia Alberti, era cresciuto in paesi stranieri, e per lui era difficile scrivere in modo elegante e chiaro in questa lingua, in cui si cimentava allora per la prima volta. Ma con molto studio e molta applicazione, in breve tempo ottenne un tale risultato che quelli tra i suoi concittadini che aspiravano in senato a passare per eloquenti, confessavano di aver tratto nel tempo dai suoi scritti non pochi spunti eleganti per abbellire i loro discorsi. (14) Oltre a questo, all'età di ventinove anni scrisse anche la maggior parte delle *Intercenales*, in particolare quelle scherzose, *Vidua*, *Defunctus* e altre assai simili a queste, molte delle quali, anche se erano assai graziose e facevano ridere molto, poiché gli sembravano composte senza sufficiente maturità,⁽⁶⁾ le buttò nel fuoco, per non offrire ai suoi detrattori l'occasione di accusarlo eventualmente di leggerezza.

(15) Ringraziava chi criticava i suoi scritti, purché lo facesse davanti a lui e si congratulava assai, prendendo la cosa come un'occasione per migliorare il suo stile grazie ai suggerimenti dei critici. Ma, a questo proposito, era convinto che tutti sarebbero stati facilmente indotti per lo più ad approvare il suo modo di scrivere; e se per caso questo procurava meno diletto di quanto egli avrebbe desiderato, non si doveva fargliene una colpa, dal momento che a lui non era consentito niente di diverso da ciò che era consentito a tutti gli altri autori. (16) Diceva infatti che era la natura ad impedire che ciascuno facesse più di quanto era nelle sue possibilità: in conclusione, si doveva considerare già sufficiente se uno svolgeva il proprio compito in base alle forze del suo ingegno.

(17) Stava poi sempre moltissimo attento a che la sua condotta non potesse in alcun modo essere censurata da qualcuno, anche solo per via di un sospetto, e diceva che nella vita degli uomini il male peggiore erano i calunniatori; costoro infatti sanno ledere la reputazione dei buoni per passatempo e per divertirsi, non meno che per rancore e per rabbia, e non c'è rimedio che possa risanare le ferite inferte dalla loro cattiveria. (18) Dunque volle in ogni circostanza della vita, con le parole e con i fatti, sia essere che apparire degno della benevolenza dei buoni, e sosteneva che era necessario impiegare tutta la propria arte (ma si doveva aggiungere arte ad arte, per non dare l'impressione dell'artificiosità) in ogni azione, ma soprattutto in tre: nel passeggiare per la

⁽⁴⁾ Opera non identificata.

⁽⁵⁾ Per questi opuscoli amatoriali, vd., nel volume, la *Nota al testo* di R. Cardini all'*Amator*.

⁽⁶⁾ Per la corretta traduzione di *mature edite* cfr. R. CARDINI, *Le Intercenales di Leon Battista Alberti. Preliminari all'edizione critica*, «Moderni e Antichi», 1 (2003), p. 135 e n. 48.

